



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1856**

I. Wichmann, Erzbischof von Magdeburg gewährt der Stadt Burg Handelsgerechtsame in Magdeburg, im Jahre 1179.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

## XXV.

## V e r m i s c h t e U r k u n d e n .

I. Wichmann, Erzbischof von Magdeburg gewährt der Stadt Burg Handelsgerechtfame  
in Magdeburg, im Jahre 1179.

In nomine Sacrae et individuae Trinitatis Wichmannus, Dei gratia Sacrae Magdeburgensis Ecclesiae Archiepiscopus. Quoniam pro multo affectu, quem habemus circa honorem et utilitatem Civitatis nostrae Burch, libenter videmus, ut omnem honorem et commoditatem, quam in civitate nostra Magdeburg habere possunt, incolae jam dictae civitatis habeant, et a Successoribus nostris semper obtineant; Eapropter notum esse volumus universis tam futuris quam praesentibus, quod nos civibus et praefatis incolis Burggravio nostro Burchardo mediante X loca tentoriorum ex directo juxta sepem majoris Praepositi ad orientem et X ex opposito donavimus et contulimus, ita ut ipsi in Festo Dominorum eadem viginti loca tentoriorum in nundinis quolibet anno sine contradictione et sine omni inquietudine habeant et possideant, et eorum heredibus succedant, ita libere, quod ipsi vel eorum heredes ipsa loca impignorare possint cuicumque velint aut vendere; unde ne aliquis nostram donationem in irritum possit revocare, Autoritatem Privilegii nostri opponimus et ipsam donationis constitutionem sub imagine sigilli nostri confirmamus adhibitis idoneis testibus, quorum nomina sunt haec: Rokerus Magdeburgensis major Praepositus, Gero Vice-Dominus, Fridericus Horarius, Rudolfus et Henricus de Jericho, Conradus Scultetus de Magdeburg, Gerbertus Advocatus, Otto, Reinherus, Everhardus Officiales, ac cives de Burch: Henricus et Frater suus Conradus, Elias, Willelmus Flamiger, Walterus Korenkob, Robertus, Helmwich, Jordan, Sibern, Sifelbrech de Tift, Hugo, Godescalcus Pugil, Lambrecht de Covene, Reinerus de Brosle, Sibodo, Sigere, Henricus de Hus, Thiebaldus, Henricus Stephanus, Arnoldus, Lambrecht, Lotekare et alii quam plures Clerici et Laici. Actum Incarnationis Dominice anno 1179. Indict. XII.

Nach einer alten Copie.